Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2969
Quelle:
Copyright:

ciensis episcopus frater noster. Ubi errasse puto Librarium, et rescribendum esse *Wormaciensis.* IV. Non. Maj. *Hazecha comitissa.* IV. Id. Jul. *Heinricus christianissimus imperator.* an. 1024. Alii nostem inter 13. et 14. mortualem statuunt. XII. kal. Aug. *Hiltolf coloniensis archiepiscopus frater noster.* an. 1079. X. kal. Aug. *Guntherus ep.* An Colonienſis, qui post an. 870. an Bambergensis, qui an. 1066. in Hungaria obiit? VI. Id. Aug. *Wezil magdaburgensis archiepiscopus frater noster.* Aliis dictus Wernerus occisus in bello an. 1073. In Necrologio *Hildesheim.* Ecclesiae apud *Leibnit. Script. Brunsvic.* T. I. p. 766. retrahitur ad diem praecedentem. III. kal. Sept. *Chuniza filia comitis Dietmari.* VIII. Id. Nov. *Hartuuicus episcopus.* Fortasse Magdeburgensis anno 1088. III. kal. Dec. *Adalpero dux carinthie.* III. Non. Dec. *Hiltigart abbatissa.* Non illa Scriptis celebris, quae obiit 17. Sept. 1180. II. Non. Dec. *Anno coloniensis episcopus frater noster* anno 1075.

VI. *fol.* 72. p. 2. *Confessio pura ad Christum.* Series *Praefationum* in Festis majoribus per annum, ut hodie. Series *Orationum*, quas Liturgici *Infra Actionem* adpellant, *Codex* vero *Infra Canonem* vel *Actionem* vocitat. Has inter *Pro defunctis* hoc tenore: *Hanc igitur oblationem quam tibi pro requie animarum famulorum famularumque tuarum offerimus quesumus domine propicius intuere. et concede ut defunctis prosit ad ueniam. quod cunctis uiuentibus preparare dignatus es ad medelam. diesque nostros* &c. Demum *Confessio*, quae est formula Sacerdoti se accusandi, cum illa superior soli Deo fiat.

VII. *fol.* 75. praemissa Pictura lineari *Gregorii* M. sedentis et librum in pulpito explicantis, cui inscriptum: *Gregorius Presul Vrbis Rome*, adsistente in humero dextro columba, *Incipit*, ut fert titulus p. seq. *Liber Sacramentorum.* Character luculentus est et elegans, et mox inter *Praefationem* et *Canonem* comparet Simulacrum *Christi* clavis quatuor e cruce pendentis adstante hinc Matre, illinc Discipulo, quem diligebat. Ordinem Missae, in quo peculiares rubricae, ut ad Memoriam Vivorum: *Hic nomina uiuorum memorentur si uolueris. sed non dominico die nisi ceteris diebus;* ad *Libera nos* &c. post nomina Petri, Pauli atque Andreae: *Hic nominatim quales uoluerit sanctos. uel quantos commemorat* &c. excipiunt *Offertoriorum* quaedam Formulae, tum Preces ad *Communionem* dicendae et inchoata *Orationis Dominicae* Expositio, quae non a prima manu, sed aliquanto serius adscripta videntur. *Fol.* demum 83. Officia per annum sequuntur initio ducto a *Uigilia Natalis Domini.* Contendi cum Exemplo *Muratorii Liturgiae Vet. Rom. Venet.* 1748. *col.* 7. f. et quasdam noto differentias. *Officia Sanctorum* non sunt permixta *Officiis Dominicarum* et *Feriarum*, sed ea sequuntur exceptis Missis de